



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Concilivm Valentinvm II. Synodvs Habita In Vrbe Valentina X. Kalendas Junii, anno XXIII. regni gloriosissimi domini Gunthcramni regus, inductione II. id est, Anno Christi DXXCIX vt Binius putat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

PELAGIVS LVGDVNENSE III. TIBERIVS IMPERATOR.
P. II. CHILPERICVS REX FRANC. 69

ANNO
CHRISTI
583.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ Anno Christi DXXCIII.] Meminit Gregorius Turon. lib. 6. capite 1. Synodi apud Lugdunum conuocatae anno sexto Childeberti regis, hoc est anno Christi 581. Verum is annus erat Guntramni tantum 20. huius vero nostrae inscriptio annum denotat 22. Sic enim habet: *Synodus habita in ciuitate Lugdunensi anno 22. regni glorioissimi domini Guntramni regis.* Annus autem Guntramni 22. iuxta æram nostram congruit anno Christi 583. At qui Clotarii obitum serius constituunt, Concilium hoc reiiciunt in annum 586. alii in annum subsequentem.

² Id etiam de epistolis.] Locus est mendosus, cui veterum exemplarum inopia mederi non licuit. Can. 2.

³ Placuit etiam uniuerso Concilio.] Citatur hic Canon in antiquis collectionibus Andegauensi & Diuionensi, titulo *De viduis, pupilis, & pauperibus.* Can. 6.

NOTÆ SEVERINI BINII.

¹ Concilium.] In hoc Concilio ad disciplinam ecclesiæ reformandam anteriorum Conciliorum constitutiones confirmatae sunt. Ex viginti episcopis duodecim per suos vicarios interfuerunt & subscripserunt. Qui sint Euantius & Syagrius, dixi supra in notis Concilii Matisonensis I. ex Adonis Viennensis chronico.

² Anno Christi 587.] Cum hoc enim anno vigesimus secundus regis Guntramni coincidit: ut patet ex iis quæ supra diuersis in locis hac de re notata fuerunt.

³ De epistolis captiuorum.] Literæ captiuorum sunt, quas pro redemptione captiuorum episcopi scribere solebant. Baron. anno 142. Can. 2. numero 9.

ANNO
CHRISTI
584.

⁴ CONCILIVM VALENTINVM II.

SYNODVS HABITA IN VRBE VALENTINA

* Anno
Christi
DCCXCV.
ut Binius
putat.

¹ x. Kalendas Iunii, anno XXIII. regni glorioissimi domini Gunthramni regis, indictione II. id est, * anno Christi DCCXCV. Pelagii II. papæ VII. Chilperici regis XXIII.

Confirmantur a Synodo quæcumque Guntramnus rex, ipsiusque uxor, & filiae, in diuersas ecclesias, vel alia pia loca contulerant.

CVM in vrbe Valentina, iuxta imperium glorioissimi Gunthramni regis, nostra mediocritas pro diuersis

I iij



pauperum querimoniis conuenisset, id primo auctore Deo decreuimus sanciendum, quod pro salute regis, & animæ suæ saluatione, vel religionis statu censuimus opportunum. Id est, vt quia prædictus rex per virum illustrem Asclepiodotum referendarium datis ad sanctam Synodus epistolis suis iniunxit, vt quodcumque tam ipse, quam bona memoria iugalis sua Austrechildis regina, vel filiæ eorum, Deo sacratae puellæ, id est, bona memoria Clodebergis, vel Clodehildis, locis sanctis contulissent, aut adhuc conferre decreuerint, auctoritate apostolica deberet sancta Synodus præsenti titulo manuum suarum subscriptione firmare. & quia tam laudabili deuotioni, non solum sacerdotalem, sed etiam diuinam credimus posse connuentiam conspirare; idecirco præsenti constitutione vnanimi consenfu, Deo medio, Synodus sancta decreuit, vt si quid basilicæ sancti Marcelli, vel sancti Symphoriani, vel quibuscumque locis, vel seruientibus Deo, per quascumque auctoritates, vel scripturarum epistles, præfatus dominus rex, vel supra nuncupata iugalis sua, & filiæ eorum, siue in ministerio altiorum, siue in quibuscumque speciebus, quæ ad diuinum cultum pertinere noscuntur, contulisse vel adhuc conferre voluerint, neque episcopi locorum, neque potestas regia quocumque tempore successura, de eorum voluntate quidquam minorare, aut auferre præsumat. Quod si quis hoc quocumque tempore temerare, aut auferre præsumperit, veluti necator pauperum, anathemate perpetui iudicii diuini plectatur, & veluti sacrilegii perpetrator, criminis sui reus, supplicii æterni teneatur obnoxius.

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Sapaudus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Arelatensis, subscripsi.

Priscus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Lugdunensis subscripsi.

Euantius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Viennensis subscripsi.

Istius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Gratianopolitanæ subscripsi.

Ragnoaldus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Valentinæ subscripsi.

Trapidius in Christi nomine episc. ecclesiæ Arauficæ subscripsi.

PELAGIVS VALENTINVM II. TIBERIVS IMPERATOR.
P. II. CHILPERICVS REX FRANC. 71
ANNO CHRISTI
584.

Eusebius in Christi nomine episcopus ecclesiae Matiscensis subscripsi.

Flauius in Christi nomine episcopus ecclesiae Cabilonensis subscripsi.

Pappus in Christi nomine episcopus ecclesiae Aptensis subscripsi.

Vrbicus in Christi nomine episcopus ecclesiae Regensis subscripsi.

Aridius in Christi nomine episcopus ecclesiae Vappicensis subscripsi.

Artemius in Christi nomine episcopus ecclesiae Vasensis subscripsi.

Martianus in Christi nomine episcopus ecclesiae Tarantasiensis subscripsi.

Pologronius in Christi nomine episcopus ecclesiae Sigestaricæ subscripsi.

Eusebius in Christi nomine episcopus ecclesiae Tricastinæ subscripsi.

Cariato in Christi nomine episcopus ecclesiae Genauensis subscripsi.

Boetius in Christi nomine episcopus ecclesiae Carpenteratensis subscripsi.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

* X. Kalendas Iunii.] Legendum Iulii. & mox pro anno 23. vulgati habent anno 24.

* Anno Christi DXXCIV.] Huic prorsus anno congruit mensis Iulius indictione 2. quam Synodi præfert inscriptio. Ceterum hic annus Guntramni regis, iuxta æram Gregorii & nostram, fuit tantum 23. Quare ita potius scriptum videtur, quam 24. ut est in vulgata inscriptione. Alii contra mendum esse coniiciunt, non in annis Guntramni, sed in nota indictionis, eamque 7. fuisse volunt, non 2. & quia Guntramni annum 24. congruere putant, cum anno Christi 589. in eum annum Synodum Valentianam coniiciunt.

* Sapaudus Arelatensis.] Sapaudum & Euantium episcopos, qui hoc loco subscribunt, anno 11. Childeberti, hoc est anno Christi 586. diem obiisse notat Gregorius Turon. lib. 8. cap. 39. Aberrant ergo, qui Synodum hanc triennio post habitam decernunt, ut dictum est.

NOTÆ SEVERINI BINII.

* Concilium.] In hoc Concilio nihil aliud factum inuenitur, quam quod ad instantiam regis Guntramni, donationes, quas ob pias causas, nimirum in usus pauperum & ecclesiae ipse eiusque posteri contulerant, vel collaturi essent, priuilegiis & immunitatibus ecclesiasticis donata fuerint.

^b Anno Christi 589.] Celebratum est hoc Concilium X. Kalendas Iulias in fine anni 24. regis Guntramni: adeoque anno Christi 589. ^{ANNO CHRISTI 589.} Nam 24. annus Guntramni incipit circa Septembrem, anno Christi 588. & finitur anno Domini nostri Iesu Christi 589. mense eodem. Vnde patet, emendandum esse illud quod in titulo inscriptum habetur; indictione secunda. Nam cum anno 25. Guntramni regis indictione septima coincidit, non secunda.

SEN TENTIA
VERANI EPISCOPI CABELLICÆ
in aliqua huius temporis Synodo dicta.

De castitate sacerdotum.

VERANVS episcopus dixit: Quis præsidentem sacris altaribus, atque ad ipsa sancta sanctorum honoris præiugio venientem indignissimis carnalium voluptatum contaminari illecebris patiatur; ac sub ipso coniugalis licentia nomine acquiescat quempiam clericorum, & sacerdotis agere officium, & mariti implere personam: cum purificatis corporis atque animi moribus multa cogitatione perpendendum, quam idoneus esse debet is qui ad celebranda mysteriorum loca non solum pro suis, verum etiam pro alienis peccatis intercessurus accedit. Incongruum siquidem mihi videtur, de coniugali toro aliquem consurgentem altiorum septa penetrare. Ipsi utique illuminati & docti de Spiritu sancto optime nostis, oblatum spiritalis sacrificii victimas quali oporteat igne flagrare. Si enim in lege veteri, vbidum euangelicæ perfectionis auctoritas præfulgeat, sancto David, cum fugæ necessitate premeretur, sacerdos Sadoch non prius panes propositionis tradidit, quam se & pueros suos iam die tertio mundos esse a mulieribus fateretur; quis immaculatas agni carnes ad salutem mundi præstitas post passionum inquinamenta, vel etiam audeat consecrare? Beatus Paulus apostolus in veritate nos contestatur dicens: Probet se unusquisque ministrorum, & sic panem illum præsumat offerre. Notum vobis est, circa loca beatitudinis vestrae, sub magnorum patrum disciplina, monachorum congregations esse non paruas, vnde ad supplenda clericorum officia in promptu est viros bonos assumi. Ut ilior est enim in ec-